

*lentem trahit secum excommunicationem.* — Objicitur tamen varie contra hanc regulam, et quidem imprimis c. *Contingit.*, 36, de *Sentent. excomm.* Injectio rannuum in clericum volentem, dum videlicet quis ipsum volentem percutit in satisfactionem præcedentis injuriæ, « etsi non violenta, tamen injuriosa, » dicitur: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. injuriam in hoc casu non fieri clerico, utpote consentienti, bene vero toti statui clericali, in cujus favorem canon « si quis suadente » conditus est, cui per suum consensum clericus derogare non potest.

7. *Non item jocosa mutua clericorum.* — Urgebis. Clerici, « qui non ex odio, invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa se ad invicem percutiunt, aut etiam intuitu disciplinæ et correctionis, » non incurrunt excommunicationem, neque censentur inferre injuriam statui clericali, c. 1, de *Sentent. excom.* Ergo idem erit dicendum de casu in cit. c. *Contingit.*, ubi clericus volens percussus perhibetur causa satisfactionis. Respondet Glossa in cit. c. *Contingit.* disparitatem esse, quia manus percipientis in c. *Contingit.* sæviit, et causa ulciscendi priorem injuriam percussisse videtur; non sic illi, qui loco.

8. *Raptus virginis scientis et consentientis punitur et quare. Dolosa persuasio plus est, quam violenta coactio. Raptus vere consentientis virginis non inducit impedimentum matrimonii.* — Objicitur ulterius: Qui virginem etiam consentientem rapit, graviter punitur a jure l. *Raptores. C. de Raptu virg.*, ergo etiam scienti et consentienti videtur irrogari injuria. Resp. legem illam non obesse regulæ, partim quia prædicta lex in præsumptione fundatur, qua ordinarie præsumitur, virginem si non vi, saltem dolo fuisse raptam et hoc ipso injuriam passam. Dynus Mc, n. 3 et 4, quia qui dolose decipitur, pro non volente habetur; cum dolosa persuasio plus sit, quam violenta coactio, l. 3, § *Si quis volentem*, ff. de *Homin. liber. exhib.* Partim quia, si non ipsi virgini, saltem parentibus illius per raptum filiæ censetur irrogari injuria. Taccin., hic., n. 9. Partim quia a sufficienter constat, virginem absque omni vi et dolo scienter ac libere consensisse, verus raptus non est et virgo hujusmodi non tam raptam, quam occulte fugitiva dicenda venit, sicque regula in suo valore procedit. Navar., lib. V, consil. 3, num. 1, de *Raptu*. Sanch., lib. VII, de *Matrim.*, disp. 12, num. 36 et alii, arg. c. *Cum causam*, 6, de *Raptor.*, ubi

Summarium sic habet: « Raptu non dicitur, ubi volens pro matrimonio adducitur; » prout etiam ibidem impedimentum exinde non induci deciditur.

9. *Ex metu scienter consentiens patitur injuriam.* — Objicitur adhuc l. *Si mulier*, 21, ff. *Quod metus caus. gest.* ubi mulieri beneficio restitutionis in integrum succurritur, etiamsi sciens et consentiens adierit hæreditatem sibi nocivam: ergo scienti et consentienti fit injuria; alias enim si mulier hæc injuriam passa non fuisset, lex restitutionem in integrum non concessisset. Resp. dictam mulierem gravi metu adactam hæreditatem adisse, uti legenti textum patet. Et quamvis coacta voluntas: tamen, quia habuit jus, ne ad hæreditatis damnosæ aditionem metu adigeretur, et violatione hujus sui juris injuriam passa est, æquitate suadente per dictum extraordinarium medium merito illi succurrebatur.

10. *Actio furti competit domino consentienti in furtum: quando? et quare? Mala facta, quæ trahi possunt in exemplum, puniuntur, etsi nondum sint perfecta.* — Objicitur etiam l. *Si quis servus* 20. C. de *furt. et servo corrupt.* ubi domino conceditur actio furti et servi corrupti contra illum, qui domini servo, ut aliquam domini sui rem surriperet, et sibi afferret, persuasit, etsi servus ante oblationem rei iniquam suasionem sincere manifestarit, et dominus in oblationem sciens consenserit. Resp. actionem domino fuisse concessam tum, quia dominus habuit jus ne servus suus inique corrumperetur; quo jure, quis se non abdicavit, in eo injuriam passus: tum ad terrorem aliorum, ne servos alienos facile corrumperent; quia « in delictis, quæ trahi possunt in exemplum, punitur factum, licet non sit perfectum, » ut notat Rabr. in cit. l. *Si quis.* et fervent verba ultima ejusdem legis, ibi: « Ne ex hujusmodi impunitate et alium servum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet. » Tum etiam, quia dominus non in retentionem, sed oblationem duntaxat rei suæ consensit animo experiendi malitiam iniqui suavis, ut scelerem in effectum deducto eum actione furti, et corrupti servi securius conven. posset. Peck., hic. num. 13, in fine.

11. *Liber consensus martyrum in torturas et mortem quare non excuset tortores ab injuria.* — Objicitur denique exemplum sanctorum Martyrum, qui scientes, et consentientes sustinuerunt martyrium, vitam, et membra

perdidit, et tamen facta est illis injuria: ergo etiam scienti et consentienti fieri potest injuria. Resp. Quamvis sancti Martyres amore Dei, et fidei martyrium a Deo permissum scienter, et libenter sustinuerint, imo etiam desiderarint: tamen per hoc non consenserunt in tortorum iniquitatem, ac injustam actionem, qua membris et vita fuerunt privati, nec ullo modo renuntiarunt juri in vitam et membra, cum horum domini non fuerint; et hinc juri ad illa renuntiare non potuerint. Sylvester. §. *Consensus*, num. 2. Less. de *Justit. et jur.*, lib. II, cap. vii, n. 14.

12. *Regula fallit in consentientibus in prohibita de jure divino.* — Quæritur II. An et quales fallentias regula XXVII patiatur? Respondet Pirh. tit. de *Usur.*, n. 11, eam fallere in cunctis iis, ubi aliunde adest prohibitio, præsertim jure divino et naturali prohibitis, etsi mutuarius in illas scienter consenserit; præcipue cum hujus consensus sit etiam quodammodo coactus, eo quod mutuum, quo necessario indiget, obtinere non possit, nisi in usuras consentiat, prout lib. V, tit. XIX, n. 85, et toto illo titulo fusius diximus. Idem est de adulterio, quod, quia jure divino prohibitum est, consensus ad id ab uno conjugum dari nequit, et scienter ac libere datus adulteros non excusat, quin coram Deo et mundo rei existant, poenisque a jure humano in adulteros statutis subiaceant.

## REGULA XXVIII.

QUE A JURE COMMUNI EXORBITANT, NEQUAQUAM AD CONSEQUENTIAM SUNT TRAHENDA.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. *Quod contra rationem*, ff. de *Reg. jur.*, ibi: « Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. » Concordat c. *Is, qui de filiis presbyt.*, in 6, ibi: « Prætextu dispensationis hujusmodi (quam exorbitantem a jure oportet velut odiosam restringi), » etc. et alia jura per Gloss. citata hic.

2. *Exorbitare a jure quid sit?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem prænotandum venit, *exorbitare* ut sic idem esse, ac ab orbita, seu via communi deflectere et deviare. Gloss. et Dynus hic: quod sacra Scriptura ad dextram vel sinistram declinare vocat. Hinc ad propositum « exorbitantia a jure » sunt, et dicuntur,

quæ a communi jure, seu a via juris communis deflectunt, seu juri communi adversantur, et contraria sunt.

3. *Aliud est exorbitans a jure, aliud correctorium juris.* — Ulterius notandum, in proprio sensu aliud esse « exorbitans » a jure, aliud « correctorium » juris. « Exorbitans a jure » est, quod dispositioni juris communis ex parte duntaxat, et non ex toto adversatur, et contrarium existit: « Correctorium vero juris » est, quod illius dispositionem ex toto corrigit. Ex quo venit, quod exorbitantia a jure communi, v. g. dispensationes, privilegia, consuetudines, statuta juris communis dispositioni ex parte tantum contraria facilius extendantur, quam correctoria illius, seu eidem ex integro adversa prout ex Farjam notavimus lib. I, tit. II, de *Constit.*, n. 423, arg. c. *Auditis*, juncta Glossa ibidem §. *Minoris. de In integr. restit.*, et docet Taccin. hic.

4. *Exorbitans a jure in stricto et lato sensu sumitur.* — Porro sunt alii, qui exorbitans a jure in stricto sensu illud appellant, quod juri communi ita adversatur, ut non nisi difficillime, et rarissime concedi soleat: in lato sensu autem omne illud rescriptum, statutum, dispensatio, privilegium a jure communi exorbitans est et dicitur, quod eidem qualitercumque adversatur. Regula nostra tam de correctoris juris, quam de exorbitantibus a jure communi, et de his tam in stricto, quam lato sensu intelligenda est; cum omne correctorium juris sit etiam exorbitans, seu devians ab illo, etsi in proprio sensu non omne exorbitans ab illo sit et correctorium ejusdem: licet aliqui inter hos terminos non distinguant, sed utrumque uno vocabulo « exorbitantis a jure » expriment. His prænotatis.

5. *Ponitur verus sensus regulæ. Exorbitantia a jure sunt odiosa; non possunt extendi ad casus et personas non expressas.* — Resp. ad quæstionem n. 2 positam. Regula præsens juxta sequentem proprium illius sensum intelligenda est: « Quæcumque a jure communi exorbitant, id est, legales, aliæque dispositiones, rescripta, statuta, dispensationes, privilegia, consuetudines, quæ alicui dispositioni juris communis ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam, sive ad alios casus et personas non expressas, non sunt trahendæ, seu extendendæ. » Ratio est, quia « odia restringi, et favores convenit ampliari » juxta reg. 15, de *Reg. jur.*, in 6. Ea



autem, quæ a jure communi exorbitant, juxta omnium doctorum sententiam odiosa censentur: et merito; hoc ipso enim, quod jus commune propter utilitatem publicam conditum, et ab omnibus receptum, indeque summe favorabile sit, quidquid ei adversum seu contrarium est, merito odiosum reputatur et per consequens ad consequentiam sive ad alios casus et personas non expressas nequam trahendum, seu extendendum est, arg. c. *Sane*, 9, de *Privileg.* et c. *Is, qui, de filiis presbyt.*, in 6, ibi: « Prætextu dispensationis (quam exorbitantem a jure oportet velut odiosam restringi), » etc. Hinc c. *Cum expediat, de Elect.*, in 6, universaliter sancitum habetur, « ut omnis correctio jurium, quatenus fieri potest, sit evitanda. »

6. *Etiamsi sit eadem ratio.* — Et procedit regula, etiamsi in alio simili casu, vel persona videatur eadem vel major ratio: nisi hæc in exorbitante dispositione sit expressa juxta dicta ad regulam XV vel extensio ad similia expresse concessa. Strein hic n. 2, exemplificans id in Principe, cui ex necessitate fuit concessum in certo loco nominare prælatum; is enim in alio loco aliquem nominare non valet, etsi in tali loco eadem sit necessitas.

7. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur regula et confirmatur exemplis ex jure deductis: Sic enim etsi laicis juris spiritualis alias incapacibus a jure concedatur jus præsentandi ad ecclesias et beneficia ab illis fundata, uti constat ex tit. *de Jurepatronatus*, tamen hæc juris dispositio trahi et extendi non potest ad liberam collationem, electionem, vel causarum jurispatronatus judicialem cognitionem, c. *Sacrosanta*, c. *Messana de Elect.*, et c. *Quanto de Judiciis*.

8. Sic pariter licet Anglis ex eo, ut ad fidem recenter conversi in ea firmiter maneat, dispensative concessum fuerit cum consanguineis matrimonium: tamen hæc concessio, utpote a jure communi exorbitans, ad alias gentes recenter conversas trahi et extendi non potuit, can. *Quædam lex.*, 20, § *Quod scripsi*, cau. 33, q. 3, et ibi Glossa communiter recepta.

9. Sic ulterius si alicui illegitime nato per dispensationem papalem generaliter, et sine curæ mentione conceditur accipere beneficium, non potest conferri curatum, c. *Is, cui de Præb. et dignit.*, in 6, nec potest dispensatio extendi ad plura beneficia, arg. c. *fin. de Filiis presbyt.*, in 6, Gloss. in c. 1. *Eod.*

quia utraque hæc dispensatio a jure exorbitans, sicque odiosa est, consequenter extendi non debet.

10. *Attendendo jus civile, pater potest occidere filiam in sua potestate adhuc constitutam, et adulterum in adulterio comprehensos.* — Similiter etsi l. *Patri*, 20, ff. *ad Leg. Jul. de adult.*, concedatur, quod pater filiam sub potestate sua adhuc constitutam una cum adultero occidere potest, tamen hæc potestas, utpote a jure communi alias exorbitans, sicque odiosa ad alios consanguineos talis filiae, vel ad filium familias patrem, extendi non potest, arg. cit. l. *Patri*; Fachin, lib. VII, cap. xxviii; Strein hic num. 1. Et sic intellige de aliis hujusmodi concessionibus, dispensationibus a jure communi exorbitantibus, seu deviantibus, utpote quæ tanquam odiosæ ad alios casus et personas etiam ob similitudinem, paritatem, identitatem rationis trahi aut extendi non possunt.

11. *Consuetudo non extenditur de loco ad locum.* — Nec objicias cum Decio, consil. 384, quod consuetudo civitatis episcopalis ad oppida et pagos ejusdem diœcesis, imo etiam ad vicina loca diœcesis extendatur arg. c. *Ex parte de Censib. et exact.* Resp. enim, id vi dicti capituli fieri ex præsumptione, quod etiam in aliis hujusmodi locis consuetudo vigeat: qua præsumptione non data certum est, quod consuetudo a jure exorbitans, seu eidem adversa ab una diœcesi ad aliam, vel de loco ad alium locum non extendatur, uti fuse dictum ac probatum habetur lib. I, tit. IV, *de Consuet.*, a num. 1 et c.

12. *In quibus regula fallit, ita ut exorbitantia a jure extendi possint ad casus et personas non expressas.* — Quæritur II. An et quas fallentias reg. XXVIII patitur? Resp. eam habere omnes illas fallentias, quas adduximus supra in regula XV a num. 20, usque ad num. 24 inclusive. Et quidem eas breviter recapitulando fallit primo, quando agitur de favore utilitatis publicæ juxta dicta ad cit. reg. XV, num. 20. Secundo in concessionibus, dispositionibus, rescriptis, privilegiis pro favore cultus divini, fidei, religionis, salutis animarum, juxta dicta ibidem n. 2. Tercio fallit, quando dispositio, dispensatio, rescriptum, privilegium datum est motu proprio, juxta dicta ibi num. 22. Quarto, fallit, ubi est eadem ratio in lege expressa juxta num. 23. Quinto, fallit, quando extensio requiritur ad evitandum absurdum, juxta dicta ibidem num. 24.

13. *Necessario connexa se invicem includunt, etsi unius tantum fiat mentio.* — Fallit sexto, in necessario connexis, et nisi extensio fieret concessionis a jure exorbitantis, alias esset inutilis et careret effectu: necessario enim connexa comprehendendi et includi censentur in concessio uno, etsi non fiat expressa mentio alterius, arg. c. *Præterea*, 5, de *Offic. et potest. jud. deleg.* Exemplum habes: quod minor viginti quinque annis dispensatus ad beneficium parochiale, vel aliud curatum, censeatur etiam dispensatus ad susceptionem sacerdotii intra annum, etiamsi de ea nulla fiat mentio, quia est necessario connexa; cum beneficium curatum ultra annum nec administrari, nec retineri valeat sine ordine sacerdotali, et alias dispensatio careret effectu, et foret inutilis contra mentem Papæ dispensantis, uti cum aliis bene advertit Abbas in c. *Nonnulli*, 28, de *Rescript.*

## REGULA XXIX.

QUOD OMNES TANGIT, DEBET AB OMNIBUS APPROBARI.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula hæc desumitur ex l. *fin. c. de Auctorit. præst.*, ibi: « Etenim necesse est, singulos pro suis partibus, vel regionibus auctoritatem pupillo præstare. » Concordant l. *Per fundum*, ff. *de Servit. rust.*, et alia jura per Gloss. citata hic.

2. *Ratio difficultatis in regula.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, non minus difficilem, quam celebrem esse hanc regulam; quamvis enim doctores communiter, imo teste Bar. hic n. 2, omnes dicant regulam esse sic intelligendam, quod omnes ut singulos tangit, non autem, quod omnes ut collegium aut communitatem, seu collegialiter et in communi tangit, ab omnibus esse approbandum; tamen difficultas non levis remanet, quando nam aliquid plures aut omnes in singulo, et quando illos ut collegium vel communitatem tangere dicatur. Pro cujus intelligentia.

3. *Aliud est: tangere omnes, vel plures ut singulos.* — Ulterius notandum, illud aliquem vel aliquos tangere dici, quod ad eum, vel illos aliquo modo pertinet, vel eis de jure competit, ita ut ex illius ablatione, diminutione, violatione, gravamen et præjudicium patiantur. Perro potest aliquid plures, seu omnes vel « ut singulos, » seu singulatim et

distributive sumptos: vel omnes, « ut universos, » seu collective et collegialiter sumptos, ac prout unum corpus efficiunt, tangere sive eis de jure competere et ad eos pertinere dicitur, quando quis in specie ac in individuo in illo jus habet, sicque de jure et præjudicio cujusvis in specie, directe, et, ut loquitur Barbosa hic n. 3, principaliter agitur: ut si plures in eundem fundum jure et dominio gaudent, non potest tali fundo sine omnium approbatione et consensu servitus imponi; quia omnes ut singulos, seu quemvis in specie tangit, et de illius præjudicio directe ac principaliter agitur arg. cit. l. *fin. C. de auct. præst.* cum concordant.

4. *Aliud: tangere omnes, vel plures ut universos vel collegialiter sumptos.* — Plures vel omnes « ut universos, » vel collective, collegialiter, et in communi sumptos, ac prout unum corpus, collegium, vel communitatem constituunt, aliquid tangere, eis jus competere, et ad eos pertinere dicitur, quando illud non ad quemvis in specie aut individuo, sed ad totum collegium, communitatem, monasterium, capitulum, etc., pertinet, uti sunt fundi, prædia, etiamque jura ad totam communitatem pertinentia, in quorum proin alienatione, vel violatione non de singulari, vel cujuslibet in specie aut individuo sed de totius communitatis, collegii, corporis mystici jure ac præjudicio directe, primario, ac principaliter agitur, quamvis indirecte, secundario, ac minus principaliter etiam singulos tangat, hoc ipso, quod talis communitatis sunt membra: in quo sensu juxta jam dicta, et adhuc magis dicenda non omnium, sed majoris duntaxat partis consensus, et approbatio requiritur, arg. l. 1, § *Demunitari*, ff. *de Ment. inspiciend.* cum concord. His prænotatis

5. *Regula intelligenda est de eo, quod omnes aut singulos tangit. Ponitur verus sensus illius.* — Resp. ad questionem n. 2, positam: Regula præsens intelligenda venit de eo duntaxat, quod « omnes ut singulos »: non autem de eo, quod « omnes simul, vel collective, seu collegialiter » sumptos tangit, modo n. 2 et 3, explicato; ut proin proprius illius sensus sit sequens: « Quod plures ut singulos tangit, id est, ad eos pertinet, eisque ut singulis de jure competit, ita, ut agendo de illo, de jure et præjudicio cujuslibet in specie ac individuo directe, primario, ac quasi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbari debet, ita ut unico dissentiente,



contradicente, spreto aut neglecto tota actio sit nulla et invalida. » Ratio regulæ est, quia nullus invitus jure suo spoliandus est: « Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, » l. *Non debet*, 74, ff. *de Reg. jur.* Et « Id, quod nostrum est, sine facto (seu consensu) nostro ad alium transferri (vel auferri) non potest. » l. *Id, quod*, 11, ff. *de Reg. jur.* Hinc dum l. *In concedendo* ff. *de Aqua pluv. arc.* deciditur, ut in concedendo jure aquæ ducendæ accedat consensus omnium, qui in re jus habent, subjungitur: « Nec immerito, cum enim minuatur jus eorum, consequens fuit, exquiri, an consentiant. »

6. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur regula, ejusque sensus variis exemplis juris per Dylum hic, et alios adductis: Sic enim imprimis si plures fundum aliquem in communi habent, non possunt in eo servitutem constituere, nisi interveniat unanimis omnium consensus, ita, ut unico dissentiente constitutio sit nulla, text. claro l. *Per fundum*, 11, ff. *de Servit. præd. rust.* et l. *Receptum*, ff. *Commun. prædia*, quia fundus tangit omnes ut singulos, et de jure ac præjudicio cujusvis in specie directe agitur. Idem est in casu, quo novus aquæ ductus concedendus est; omnes enim et singuli, qui prius jus ad aquam jam habebant, consentire debent, arg. cit. l. *In concedendo*, ff. *de Aqua pluv. arc.* per rationem ex illa desumptam et n. præced. jam positam: Sic etiam, si plures servum proprie talem in communi habent, omnium consensus requiritur, ut sacros ordines suscipere valeat, quia omnes tangit, id est ad omnes pertinet, et de cujusvis jure et præjudicio agitur, hoc ipso quod quis per ordines suo ad servum habito jure privetur, sacris initiatus servus amplius esse non possit, sed homo liber evadat, can. 2, dist. 54.

7. *Electio unico vocati spreto seu non citato est nulla.* — Sic rursus omnes tam regularis, quam sæcularis status vocales, « qui debent et volunt, ac commode possunt interesse, » ad electionem prælati citari et admitti debent, c. *Quia propter*, de *Elect.* cum concord. ita ut si unicus contemptus, id est, legitime non citatus, sed illegitime exclusus esset, electionem invalidam reddere posset, c. *Quod sicut* 28, de *Elect.* quia quis in specie jus eligendi habet, quo invitus privari nequit, prout amplius diximus lib. I, tit. VI, de *Elect.*, n. 115.

8. *Ad compromissum requiritur omnium con-*

*sensus.* — Sic ulterius ut electio per compromissum fieri queat, unanimis omnium vocalium consensus necessario requiritur, adeo ut unius dissensus compromissum impediatur, et nihilominus electionem per compromissum factam invalidam reddat, uti Gloss. in c. *Quia propter*, § *Vice omnium*, communiter recepta bene docet arg. cit. c. *Quia propter*, de *Elect.* et amplius dictum habetur cit. lib. I, tit. VI, de *Elect.* n. 71, quia causa compromissi omnes ut singulos tangit, cum aliqui invitus privaretur voce sua activa.

9. *Majora valent, quando res omnes ut universos vel collegialiter tangit.* — Objici solent contra hanc regulam satis clari textus juris utriusque, canonici quidem ex c. 1. *De his quæ fiunt a major. par. capit.* ubi universaliter disponitur: « Nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, et ostensum, prævalet semper, quod a majori et saniore parte capituli fuerit constitutum. » Ex jure civili autem l. *Quod major*, 19, ff. *Ad municipalem*, ibi: « Quod major pars curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. » Sed resp. hos et similes universales juris textus de iis materiis et causis intelligendos esse, quæ vel non omnes ut singulos in specie, sed omnes ut universos, seu collective sumptos, sive totum collegium tangunt juxta sensum supra n. 4, allegatum: vel non ipsa collegii aut curiæ membra, sed tertium aliquem respiciunt.

10. *Intellige tamen in necessario, non autem in voluntarie agendis.* — Quamvis cæteroque etiam præfati textus (præsertim vero ex c. *Quia propter*, desumptus) non semper, sed tunc tantum verificentur, quando aliqua facienda sunt ex necessitate, uti alienationes, electiones, et hujusmodi; non autem in iis, quæ ex mera voluntate fiunt; tunc enim major pars non sufficit, sed omnes et quidem collegialiter consentire debent, prout bene observat et probat Gloss. in c. *Cum omnes*, de *Constitit.* § *Constit.* ac etiam ad hanc regulam: ubi plura de hoc.

11. *Ac nisi pars minor, vel unicus rationabiliter contradicat.* — Et nos quoque lib. III, tit. XI, *De his, quæ fiunt a majori parte capit.* a n. 24, plures adduximus casus, etiam tales, qui omnes collective sumptos, seu totum collegium et communitatem tangunt, in quibus non sufficit major pars, quin minor pars contradicere, et intentum majoris partis ex rationabili causa impedire valeat cit. c. 1. *De his, quæ fiunt a major.* ibi: « Nisi a paucio-

ribus aliquid rationabiliter fuerit objectum et ostensum »: ubi etiam addidimus, unicuique cæteris omnibus efficaciter contradicere posse, tunc nempe, quando reliqui in manifestum damnum collegii, communitatis aut Ecclesiæ decernunt, ubi vide.

12. *Fallit regula in favore liberationis a debitis.* — Quæritur II. An? et quas fallentias patiatur regula XXIX? Resp. eam fallere in pluribus, verati primo in favore liberationis a debitis, l. *Majorem*, ff. *de Pactis* ubi habetur, si hæredes paciscantur cum creditoribus, quota parte debiti, velint esse contenti. « Prætor sequetur majoris partis voluntatem »: ubi rubrica sic habet: « Hodie in his, quæ sunt communia pluribus, ut singulis, quod fit a majore parte, præjudicat aliis favore liberationis. »

13. *In arbitris pro dirimenda lite.* — Fallit secundo in arbitris favore litium dirimendarum; nam arbitris, qui communi partium consensu in dispari numero sunt assumpti, discordantibus, statur sententiæ majoris partis, etsi res plures ut singulos tangat, arg. c. can. *Sane* 1, de *Arbitris*.

14. *Item in compatronis juris patronatus.* — Fallit tertio in casu, quo pluribus patronis competit jus patronatus; nam iis discordantibus valet præsentatio personæ idoneæ factæ a majore parte, textu expresso c. *Quoniam*, 3, de *Jure patron.*: idque favore Ecclesiæ et animarum, quibus longior beneficii vocatio damnosa videtur et periculosa, arg. c. *Ne pro defectu*, 41, de *Elect.*

15. *Et, si fiscus concurrat cum privatis.* — Fallit quarto, si princeps, vel fiscus illius rem aliquam cum aliis communem habet; quia potest ille, etiam his invitis, rem totam vendere, reddita tamen parte pretii aliis competente, l. *Multum*, 2, C. *de Commun. rerum alienat.* quia fiscus in hoc specialiter privilegiatus independenter ab aliis agit, nec in effectu illis præjudicat; cum plerumque commodius sit et utilius, rem totam, quam partem illius distrahere, arg. l. *Mævius*, 52, ff. *Familia erciscundæ*.

## REGULA XXX.

IN OBSCURIS MINIMUM EST SEQUENDUM.

1. *Regula a quo desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. *Semper in obscuris*, 9, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Semper in obscuris, quod

minimum est, sequimur. » concordat l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *de Reg. jur.*

2. *Obscurum quid sit? et minimum quid dicatur?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Obscurum* in hac regula sumitur pro eo, in quo rei veritas, et intentio disponentis, etiam consideratis considerandis circumstantiis nec verisimiliter satis apparet. Per *minimum* vero illud intelligitur, quod minus obligat, vel minus gravat.

3. *Regula non procedit, nisi prius circumstantiæ de veritate rei perpendantur: hinc Regula hæc subsidiaria dicitur.* — Dicitur autem notanter etiam consideratis considerandis circumstantiis; enimvero hæc regula non ita unde intelligenda venit, quod in quovis obscuro statim, ac sine ulla consideratione *minimum* sit eligendum: sed prius videndum est, an non rei veritas, et vera disponentis intentio ex more Regionis, ex ratione, vel fine, vel ex alia lege, ex antecedentibus aut subsequentibus verbis, vel ex aliis circumstantiis saltem verisimiliter erui valeat, prout bene observat Gloss. et clare desumitur ex cit. l. 34, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quod certum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit, ad id, quod minimum est, redigenda summa est. » Concordat regula 45, juris in 6: « Inspecimus in obscuris, quod verisimilius est: vel quod plerumque fieri consuevit. » et l. *Nummis*, 75, ff. *de Legatis*, III, ibi: « Si neque ex consuetudine patrisfamilias, neque ex regionis unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere. » Hinc regula hæc communiter vocatur *subsidiaria*, id est, in subsidium, casu quo aliunde de veritate satis non constat.

4. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Quando in lege, statuto, aut alia dispositione sensus ita obscurus est, ut neque ex natura actus neque ex antecedente aut subsequente tenore verborum, neque ex consuetudine loci, nec ex aliis circumstantiis vera legislatoris, vel aliter disponentis voluntas ac intentio, saltem verisimiliter satis appareat, id, quod minimum, hoc est, quod minus obligat, vel gravat, sentire debemus. » Per jura citata. Ratio est, tum quia jura proniora sunt ad liberandum, quam obligandum, magisque inclinant